

rium serenissimi Regis Poloniae. Elbinga vetus Prussiae domicilium, quae sanctam quoque literarum curam suscipit. Culma clara literis, & vnde ius Culmense originem duxit. Aedificia verò & munitiones, Apollinis Regias, & aedes dices. Hortos, agros, totamque regionem Veneris delicias, vt non immeritò P<sup>o</sup> dici possit. Porro Prussiam filiam esse Veneris haud est in obscuro, si vel terrae fertilitatem quis perpenderit, vel venustatem, & amoenitatem totius regionis. Venus fertur orta mari, ita & Prussia eius, & Maris filia est, ideoque non tantum eam fertilitatem praebet, vt Hollandia, & Selandia annonam ab ea alantur, sed & quasi Horreum sit vicinis Regnis, item Angliae, & Portugaliae. Praeter haec optima quaeque piscium genera, & alias res pretiosas, quibus ipsa circumfluit, alijs affatim suppeditat. Caeterum sollicita Venus de ijs, quae ad cultum, splendorem, bene ac humaniter viuendum attinebant, neque negante soli natura, in his partibus nasci & haberi poterant, mari denique auxiliante effecit, vt commodè in Prussiam aliunde inuehi possent. Verum cum haec tibi, doctissime D. Schonere, notiora sunt, quam vt à me prolixius referri debeant, atque ab alijs integris ea de re editis Libellis tractentur, vberiore Encomio superfedeo.

Hoc tantum addam, vt est Prussica Gens populosa, praesidentis Numinis beneficio, ita quoque est singulari humanitate praedita. Praeterea cum omni genere artium Mineruam colant, & Iouis ob hoc benignitatem sentiunt. Nam vt non dicam de inferioribus artibus attributis Mineruae, vt Architectonica, & huic cognatis, principio illustrissimus Princeps, deinde omnes Praesules, Proceresque Prussiae, penes quos summa rerum est, ac Rerum publicarum Gubernatores, vt Heroas decet, summo studio passim renascentes in in orbe literas amplectuntur: adeoque & soli, & communi consilio alere, & propagare student. Quare & Iupiter fulua contracta nebula, multum auri pluit, hoc est, vt ego interpretor, quia Iupiter praesse dicitur Imperijs, & Rebus publicis cum Magnates studiorum, sapientiae, & Musarum curam suscipiunt, tunc Deus subditorum, nec non vicinorum Regum, Principum, ac Populorum animos, ceu in auream nubem contrahit, ex qua pacem, omniaque commoda pacis, tanquam guttas aureas destillet, animos tranquillitatis, &